Nobilissimo, amplissimo, ingeniosissimoque
Viro D. Constantino Hugenio, Eq: Dno
Zulichemi, Caspar Barlaeus S. P. D.

ACAD.
LUGD. BAT.
BIBL.

Scripsi Tibi nuperrime, Hugeni doctissime, de Nihilo, scripsi de Aliquo. Ad primum respondisti ingeniosissimum tuum Nihil, ad posterius brevissimum tuum Ti. Jam libet paucula scribere de Neutro. Etenim, inter audacem Stoicum, qualis fuit Zeno, et timidissimum Scepticum, qualis fuit Pyrrho, sum neuter, qualis sunt Peripatetici et ἐκλεκτικοί. Nec tamen sum neutrius generis, ut quem uxor jam pridem credidit esse marem. Theologi dicunt, inter superstitiosum Aegyptium et atheum Diodorum ita incedere verè Christianum, ut neutrum probet, utrumque execretur. Dicunt iidem inter Christianae religionis partes Libertinos esse neutros, utpote nullius addictos jurare in verba magistri. Juris-consulti affirmant, quaedam bona esse Titii, quaedam Sempronii, quaedam neutrius, qualia illa sunt, quae primi fiunt occupantis, et pro derelictis habentur, et per usucapionem desinunt esse neutra. Puto etiam in litis-suspensione murmurare partes, triumphare neutram. Medici statum valetudinis nostrae alium dicunt esse salubrem, alium insalubrem, alium neutrum. Et hunc, si in melius vergat, vocant statum Convalescentiae, si in deterius, Decidentiae. Politicorum problema est: An in publicis dissensionibus et civilibus bellis satius sit, stare à partibus, an neutrum esse. Aiunt gloriari solitum Q. Hortensium, quod nunquam bello civili interfuisset. Et Asinius Pollio Augusto roganti, ut secum ad bellum Actiacum proficisceretur, respondit: Ego discrimini vestro me subtraham, et ero praeda victoris. Contra Solon sancivit, uti patria, domo, fortunis careret, qui in

Hug. 37.

© Universiteitsbibliotheek Leiden
Cod. Hug. 37 (Barlaeus) 73
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/907

qui se alterutri parti non addixerit. Ego in hac ipsa
controversia de neutro sum neuter. cum alterum putem esse
supinè socordis, alterum ejus, qui otij sui est satur.
Philosophorum alij Universalia ideas esse volunt à
materia abstractas, alij voces tantum et conceptus
universaliores, alij neutrum. Grammatici, quorum
primum meminisse debebam, ob generis excellentiam, ὀνόματα
habent et ἐπίθετα neutra. Quoties Critici litigant
de punctis, commatibus, asteriscis, sapiens Apollo est neuter.
Logicus, fallacias Sophistarum edoctus, si rogetur,
ut est apud A. Gellium, An desierit furari, an non
desierit furari, respondebit neutrum. Hominum alij
sunt mares tantum, alij foeminae tantum, alij
neutrum, alij utrumq. Audi Epigramma:

Cum mea me gravida gestaret mater in alvo,
Quid pareret, fertur consuluisse Deos.
Mas est, Phoebus ait; Mars foemina; Junoq. neutrum.
Cumq. forem natus, Hermaphroditus eram.

Quidam mulieri credunt, quidam gremio. Ego, juxta vetus
proverbium, Nec mulieri, nec gremio fido. Non illi,
quia levis est et inerti animi, Non huic, quia sinu
contenta surgentibus facile excidunt. Qui in confinijs
habitant Gelriae Brabantiaeq. student esse neutri, ut
de hostico in hosticum transeant, Vespertilionibus similes,
qui inter aves mures sunt, inter mures aves. Nisi
neuter esset arbiter, minus esset idoneus componendis litibus. Ut
magnum in vita civili videam esse momentum neutrorum.
Si semper mihi licuisset fuisse neutri, forte non
excidissem olim meis commodis. Tu, mi Hugeni, si
inter amorem odiumq. mei semper fuisses neuter, minus
beneficam expertus fuissem Britanniam, minus beneficum

© Universiteitsbibliotheek Leiden
Cod. Hug. 37 (Barlaeus) 73
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/907

Auriacum. Quare et non esse neutrum, utile subinde fuerit.
At, optime, cum nuper me cum Amplissimo Senatore commi-
sisses, tu subridebas οὐδέτερος. Verum, audio pessimam
esse in Germania sortem neutrorum. non minus enim
vapulant et plectuntur, quam qui partibus sunt addictissi-
mi. Si me roges, an malim bellum an pacem,
respondebo neutrum, quia mallem nec opus unquam
fuisse bello, nec ea, quae bellum excipit, pace. Si
roges, an libentius edam an bibam, dormiam an vigilem,
movear an quiescam, tristis an laetus, respondebo
neutrum, quia vellem esse Intelligentia Peripatetica,
quae nec edit, nec bibit, et quanquam orbes coelestes
rotet, ipsa manet immobilis. Si quaeras, an Canonicus
esse malim, an Vicarius, parum abest, quin respon-
surus sim, neutrum. quia videntur mihi utriusque ordinis
homines, nec posse, nec velle mori. Vale Vir
doctissime, quem licet in amicorum dissensionibus
cupiam esse neutrum, tunc tamen meum esse velim
et non neutrum, cum de conferendo Vicariatu agetur.
Amstelodami VII Maij. CIↃIↃCXXXIV.

Aen mijn heer
mijn heer Constantinus
Huygens, Ridder, heer
van Zuylichem, Secretaris
van sijn Ho: / Hoocheit
woonende in den haghe

fran

Haghe

© Universiteitsbibliotheek Leiden
Cod. Hug. 37 (Barlaeus) 73
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/907